ORATIO DE DEO TRINO, ET VNO AD SS.D.N. CLEMENTEM 10. HABITA IN SACELLO...

Louis Alphonse : de Suarès

Digitized by Google

Google

Eminentiſs. ac Reuerendiſs. Principi

PALVTIO

S. R. E.

CARD. ALTERIO.

LEGATO AVENIONENSI

LVDOVICVS ALPHONSVS SVARESIVS Felicit.

EMINENTISS. AC REV. PRINCEPS.

DEus Trinus & Vnus melius ſcitur neſciendo, ita Em. V. quantumuis neſciri velit, ſcietur, & latebras quærens melius ſpectatur in hoc ampliſſimo Terrarum Orbis Theatro, vbi eius eximiæ virtutes, tamquam in lumine ſuo collocatæ, nobiliſſimo Alteriarum Stellarum fulgore collucent eminus, iubarque ſuum diffundunt vndique, ac Præcipui quodam iure, Auenioni, quæ olim Romæ Vicaria Summos

Digitized by Google

Pontifices hoſpites intra Pomoeriũ ſuum LX. per annos, & quod excurrit, ſediſſe gloriatur, & Te Legato prouidentiſſime nunc conceſſo geſtit exultabunda. Oratiuncula quidem iſta, quam in Sacro Senatu haud pridem habui, Sanctiſſimi Domini Noſtri CLEMENTIS X. propitijs auribus excepta, in Eminentiæ Veſtræ ſinu à me modò deponitur, & quaſi metatoria pagina offertur. Solem Diuinitatis Trinum & vnum non vti Aquila Ioannis Euangeliſtæ oculo irretorto, ſed hebetis acie obtuſa ingenij ſuſpicere tantiſper auſus, & de his, quæ non licet homini eloqui, ſaltem balbutire aggreſſus, ad Stellas Alterias viſum dirigo, earumque influxum benignum expeto, & expecto, dum Parenti meo Coadiutor à fel. mem. CLEMENTE IX. adſcitus in Auditoratu Rotæ, munus illud Em.ª V.ª duce auſpicor & adeo poſſeſſionem Patrimonij, quod meæ familiæ peculiare hactenus fuit in exhibendo perpetuo obſequio, ſinceraque fide præſtanda erga Sanctam Sedem Apoſtolicam. Me igitur Eminentiæ Veſtræ ſiſto deuinctum æterno nexu, eamque ſupplex oro, vt me, omneſque meos in Clientelam aſſumptos Clementiſſimo ſuo præſidio foueat, atque tueatur.

ORATIO.

SVpremus rerum omnium arbiter, & moderator, quem quia videt omnia ſolus, verum poſſum dicere ſolem, inhabitat lucem inaceſſibilem, nec admittit accedentes ad ſe, niſi per lumen Chriſti, & illi ſoli grati ſunt & accepti, qui igne ardent, quem miſit in Terrarum Orbem; Hæc enim tria lux, lumen, & Ignis Vnum ſunt, Pater ſcilicét, Verbum, & Spiritus Sanctus, quorum irradiata fulgoribus hodierna die vniuerſa congaudet Eccleſia. (BEATISSIME PATER.) Sed quò propius accedimus, eò magis caligamus. Graue quidem onus ſuſtineo & hoc ſecretum ad cogitandum non omnino facile, difficilius ad dicendum, humanum adeo excellit animum, vt ne quidem cœleſtes intelligentiæ maieſtatem tanti myſterij, & dignitatem eius, alto niſi ſilentio valeant prædicare. Grande quidem Sanctæ Trinitatis vocabulum, & ſalutare arcanum eſt; Maior attamen eſt ipſamet conſubſtantialis, viuifica, & inſeparabilis Trinitas, vt creata natura eam explicare, & quomodo vnum diſtinctè tria ſunt, & indiuiſibiliter tria vnum, poſſit ad plenum

comprehendere. Rara anima quæ cum de illa loquitnr, ſciat quid loquatur. Satis ſuperque profundi huius myſterij gloriam celebrarunt præterita Eccleſiæ ſpiritualia Sacramenta, Incarnatio, videlicet, Paſſio, Reſurrectio, & Aſcenſio Dominica quæ claram Trinitatis notitiam per ſe adſtruunt; & præpeditioris, tardioriſque linguæ ſunt in Pulpitis Oratores, vt confuſa notitia, profundiſſimum Diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, enuntient ſecretum. Cuius inquiſitio,peruerſa curioſitas eſt, ſed cuius Confeſſio præſtat beatitudinem pijs repoſitam, & ſumma fides eſt, & ſecuritas, cuius denique viſio perfecta felicitas eſt.

Hic deficit humana vis, hic vniuerſa conticeſcit Philoſophia, perſtringit aciem humanæ mentis lux hæc immenſa, lux æterna,lux indeficiens, & vt Græci loquebantur παμφάης, lumen imperuium, lux mundi, Ignis illuminans & non vrens; Hæ tres luces, hi tres ignes, hæc tria lumina, vnus ignis, vna lux, vnicum lumen ſunt,quod in Paſchalibus feſtis in præconio ſuo, Canora voce denuntiauit Eccleſia, dum Triſidum accendit Cereum, qui licet diuiſus in partes, mutuati tamen luminis detrimenta non ſentit.

Hic ille veriſſimus ignis eſt, qui eos, qui ſequuntur, illuminat, qui tentant, exurit,qui quos

non

non vrit, conſumit, & quos vrit minime lædit, per fornacem olim præfiguratus, in qua trium Puerorum ore vno glorificantium & benedicentium Deum, Babylonicus Rex Diuinum demiratus eſt ambulacrum. Vno, inquam, ore laudantium, & concinentium in Vnitate Trinum, & in Trinitate Vnum, quaſi dicerent. Sumus veluti tres, ſed os vnum habemus omnes. Patrem, & Filium & Spiritum ſanctum adoramus, in Filio Patrem; in Spiritu autem ſancto Patrem, & Filium intelligentes antequam coniungamus, & iungentes antequam diuidamus. Vnitatem in Trinitate venerantes, & in Vnitate Trinitatem confitentes, in qua nulla prorſus eſt diuerſitas, niſi quod ille Pater eſt, & hic Filius, & ille Spiritus Sanctus. Trinitas quippe in perſonarum diſtinctione, & Vnitas in Diuinitate ſubſtantiæ. Homouſion prædicamus Trinitatem, tres ſubſiſtentias veras, integras, perfectaſque Perſonas indefeſſa voce pronuntiamus. Sancta & inſeparabilis Trinitas vnius eſt poteſtatis & gloriæ, cui nihil aduentitium, vel creatum accedit, nihil compoſitum, nullumque accidens ineſt, nihil maius aut minus.

Trinitas Sancta, Rubus eſt ardens, qui non comburitur, et virgultis, quorum de medio lucebat, innoxius. Ignis eſt, qui mouetur, lucet, & feruet, à quo multi alij accenduntur ignes, ſine

vlla

Digitized by Google

vlla eius imminutione, à quo plures accenſi ſunt, ſed eodem illo permanente. Sol eſt qui currit, fulget, & calet, idem tamen iubar eſt; & ſicut in Sole tria cernimus Solem, lucem, & calorem emanantem ab vtroque. Ita in beata Trinitate, Patrem tanquam Solem, & Filium, vt lucis radium, & Spiritum Sanctum, vti calorem ab vtroque procedentem colimus, & veneramur. Hac in Vrbe circa Natalem Chriſti diem tres Soles, olim, vnum in Orbē coijſſe viſi ſunt, vt Trinitatem Perſonarum, & Diuinæ eſſentiæ Vnitatem demonſtrarent. Trinitas ſancta lumen eſt, ſiquidem illud peculiare habet natura luminis, vt ita facile lumini coniungatur, atque ipſum totum penetret, vt ex multis lampadibus, medio in aere vnum lumen efficiatur, vnde nullo impedimento eſt illa lucis vnio, quo minus in ea diſtinctio ſit, quando adeo facile altera ab altera ſeparetur.

Diuidat ergo Arius Solem, vel Ignem, & tunc diuidat Trinitatem. Auguſtæ potiùs Meletij Confeſſioni ſubſcribat, qui populum hortatus eſt vt Concilij Nicæni decretis adhæreſceret, cuius poſtea ore obturato ab Archidiacono Antiocheni Cleri, tres attamen ipſe digitos oſtendit, mox ijſdem compreſſis vnum ſolum porrexit, quo vnam Trinitatis eſſentiam ſignificaret. Inextinguibilibus ergo crucietur Erebi flam-

88
56

flammis impius Noetus, qui in officiorum nominibus, non in perſonis Trinitatem accepit. Erubeſcat Sabellius, qui vnam perſonam Patris, & Filij, & Spiritus Sancti adſtruit. Confundatur Donatus, qui totam penè Africam mortifera perſuaſione decepit, aſſerens minorem patre Filium & minorem Filio Spiritum Sanctum. Pereat execranda Macedonij memoria & aliorum, qui Trinitatis ſinceram, & germanam fidem, ſuis commentis labefactarunt.

Vigeant in Æuum ſummorum decreta, & oracula Pontificum, qui primi ſunt Trinitatis internuntij,& quod Sedes Apoſtolica probauit, teneatur acceptum. Suſcipiantur ſicut Sancti Euangelij libri quatuor generalia Concilia Romani Pontificis Auctoritate roborata, & Trinitatis inuicta propugnacula. Curſum ſolitum ſeruent totidem hæc Paradiſi flumina,quæ fide ſana, & doctrina, cùm vberrimis gratiarum fluentis vniuerſum irrigant orbem.

Trinitatem igitur Sanctiſſimam dignis,quantum fragilitati noſtræ conceditur, attollamus laudum præconijs, eam diligamus; Scio equidem quod de illa magnificè loquentes nunquam extra veritatem aberrabimus.

Otium non habent,& requiem ſacra animalia ter Sanctum Dominum ſine intermiſſione conclamantia; Omnes ſi poſſint arenas Maris

in lin-

in linguas conuerti cupiamus, vt eius perpetuo laudes annuntient, ſiquidem acumen humani ingenij debilitatur, & tùm oratione, tùm cogitatione ea ſuperior eſt, quis enim infirmos adhuc oculos in maieſtatem tanti Solis figere audeat? quæ humana mens ſplendido Sanctæ Triadis lumine non obtundatur? quis mortalium, vaſtiſſimam ignis Sacri abyſſum ingrediens, ab eo exire, & ad nos regredi velit. Silentio, admiratione, & ſtupore ſacro recolendum eſt illud ſempiternæ Trinitatis ineffabile myſterium, ac vt Ethnicæ Philoſophiæ verbis vtar. ἄῤῥητον ἀκαταονομαςὸν, cuius maieſtas apud nos humili taciturnitate ſeruatur.

Tandem ſub Trinitate tempora omnia tranſeunt, humanæ rerum vices ſub illa voluuntur, quæ finis eſt & principium, & dùm Orationis huius verba metuntur, conſtituta quoque momenta prætereunt. Ad tantum igitur lucis, luminis, & ignis ſplendorem mens deficit, cœcutiunt oculi, vox ſilet, non mea tantum, ſed Angelorum. Decet itaque admouere manum ori, cùm diutius ſcrutari non liceat ſuperna myſteria. Dixi.

FINIS.

Digitized by Google

89
57

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google